Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

xi. epactarum diebus accrescere solent. non lege patria. tertio vel altero
anno singulos adiciens. sed ubi ad duodecimum numerum augescen
do peruenirent. pro integro anno parti inserens. Hoc autem fecit
non ueritatis cognitionem querentibus inuidendo. sed prophetie mo
re ipsum querentium exercendo ingenium. malens itaque suas
margaritas a filiis clausas fructuoso sudore inuestigari.
quam profusas a porcis fastidiosa despectione calcari. Verum
ut hec apertius elucescant. ipsa iam angeli ad prophetam uideamus dicta.
Septuaginta inquit ebdomades abbreuiate sunt super populum tuum. et
super urbem sanctam tuam. ut consummetur preuaricatio. et finem accipiat
peccatum. et deleatur iniquitas. et adducatur iusticia sempiterna. et
impleatur uisio et prophetia. et unguatur sanctus sanctorum. Nulli dubium quin
hec uerba Christi incarnationem designent. qui tulit peccata mun
di. legem et prophetas impleuit. unctus est oleo leticie pre participibus suis.
et quod ebdomades .lxx. per septenos annos distincte .ccccxc. an
nos insinuent. Sed notandum quod easdem ebdomadas non simpliciter adnotatas
siue computatas. sed adbreuiatas asserit. occulte uidelicet lectorem ad
monens. ut breuiores solito annos nouerit indicatos. Scito ergo
inquit et animaduerte ab exitu sermonis. ut iterum edificetur hierusalem
usque ad Christum ducem. ebdomades .vii. et ebdomades .lxii. erunt. et rursus
edificabitur platea et muri in angustia temporis. Esdra narrante di
dicimus. quod neemias cum esset pincerna regis artaxersis .xx. an
no regni eius mense nisan. impetrauerit ab eo restaurari muros hie
rusalem templo multo ante cyro permittente constructo. ipsumque opus ut
dictum est in angustia temporis perfecit. adeo scilicet a finitimis gentibus im
pugnatum. ut structores singuli gladio renes accincti. una ma vel una parte populi
nu pugnasse. altera murum reparasse narrentur. Ab hoc ergo tempore usque
ad Christum ducem. ebdomadas .lxx. computa. hoc est annos duodenorum mensi
um lunarium .ccccxc. qui sunt anni solares .cccclxxv. Siquidem perse
a prefato .xx. anno regis artaxerxis usque ad mortem darii reg
nauerunt annis .cxvi. exhinc macedones usque ad interitum cleo
patre annis .ccc. inde romani usque ad septimum decimum tyberii
cesaris annum monarchiam tenuere annis .lviiii. qui sunt simul ut
diximus anni .cccclxxv. et continentur circulis decennouenalibus
xxv. Decies nouies enim uiceni et quini fiunt .cccclxxv. Et quia
singulis circulis embolismi .vii. accrescunt. multiplica .xxv. per .vii.

Sciendum de reparatione templi nihil preter fundamentum fuisse adhuc restructum.